



## The Holy See

---

**PAULUS PP. VILITTERAE APOSTOLICAE GUAYAQUILENSIS ET DIOECESIUM  
LITORIS AEQUATORIAE\***

TEMPLUM S. CORDIS IESU IN URBE CASALIO  
TITOLO BASILICAE MINORIS DECORATUR

Quantopere Maria, Christi Mater, redimendis hominibus a peccati captivitate contulerit, tum id ostendit, quod sub Cruce magno animo stetit socia dolorum, tum etiam quod semper, per hominum aetates, sedula et dulcis christianorum Mater Ecclesiae sanctae in prosperis, in adversis exstitit. Cuius rei documento titulus etiam est atque nomen singulare «beatissimae Virginis a Mercede», quod anno millesimo ducentesimo duo de vicesimo religiosi viri ac Sodales quidam, quasi antiquae operis sui custodi atque patronae, ei indiderunt, quodque in omnes nationes et populos summa religione propagarunt. Qua re factum est, ut in populorum animis, praesertim in Americae Meridionalis oris, maxime in Aequatoria, nomen illud, amor, pietas, studium erga Matrem acerrimum alte insederit. Cum ergo venerabilis Frater Bernardinus Echeverria, Archiepiscopus Guayaquilensis, suo ipsius nomine atque totius cleri atque populi tum suae archidioecesis, tum dioecesium Litoris Aequatoriae huic Apostolicae Sedi preces exhibuerit, ut Beatam Mariam Virginem a Mercede archidioecesis Guayaquilensis ac dioecesium Litoris Aequatoriae Patronam principalem constitueremus atque declararem, Nos, re bene reputata atque iis confirmatis, quae Sacra Congregatio pro Cultu Divino, facta a Nobis potestate, egerit, id quod petatum est quam liberali animo concedimus cum omnibus iuribus et privilegiis iuxta rubricas competentibus, contrariis nihil obstantibus. Haec vero quae iussimus tum ad praesens tum in posterum omnino firma ac rata esse volumus, ut efficaciam suam obtineant.

*Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die tertio mensis ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo, Pontificatus Nostri septimo.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA, S. R. E. Cancellarius

Franciscus Tinello  
Apostolicam Cancellariam Regens

\*A.A.S., vol. LXII (1970), n. 4, pp. 206-207

© Copyright 1970- Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana